



Disputatio medica inauguralis de phthisi

<https://hdl.handle.net/1874/343301>

43.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
P H T H I S I.
QUAM,
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
JOHANNIS GEORGII GRAEVII,
Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī Consensu, Nobilissimaque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite & legitime consequendis,

Publico examini subjicit

HUBERTUS à WIJCKERSLOOT, Rhenensis.

Ad diem 15. Decemb. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM;

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc xc.

*Nobilissimo & Amplissimo,
VIRO,*

**D. ALBERTO
VAN
BENTHEM,**

Foederatorum Belgarum Senatus , qui
Hagæ-Comitum est , nuperrime Mem-
bro , tertium Urbis Trajectinæ Con-
suli , Aggerum superioris Leccæ Præ-
fecto , Cognato & Fautori suo pluri-
mum honorando , colendo.

*Has qualescumque Studii sui Medici pri-
mitias in submissi animi debitæque*

observantiae terminos ,

offert & inscribit

HUBERTUS à WIJCKERSLOOT ,
Academie
ex dicitur idemq[ue] Auct. & Resp.

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E
P H T H I S I,

S. I.

Sic originem habens *δοῦτον Φθίσεων* absumere, corrumperem, non inconvenienter Latinis vertitur *Tabes*; quamcumque corporis consumptionem à quacumque caussa ortam significans, ita ut sub hac voce non tantum comprehendatur *Pulmonalis* Auctoribus haud immerito καὶ ἔχοντας *Φθίσις* dicta; sed & à febre hecticā absque pravā dispositione, vel ulcere Pulmonis proveniens, *Dorsalis*, *Renalis*, pluresque non tantum species universales, verum etiam quacumque particularis, ut *Ischiatica*, *Ocularis*, aliisque partibus totius accidens reliquis nihil tale patientibus; quem autem nimis longum foret Phthisin in genere, vel plures ejus species pertractare, idcirco præ cæteris mihi arrisit humano generi hostis infensissimus

S. II. Phthisis pulmonalis, que est consumptio totius corporis cum tussi & febre hecticā à pravā primum diathesi & tandem ab ulceratione Pulmonis ortum ducens.

S. III. Jacto hoc fundamento in rem fore crederem partis primarij affecta, quæ est *Pulmo*, delineationem ante oculos proponere ut exinde melius symptomatum naturam derivemus felicioremque curam instituamus. *Pulmo* igitur *Thoracis testudinem*, ut cum Divino Sene loquar, coadimpler: per Asperam arteriam Collo, per Mediastinum anterius Sterno, posterius Vertebris ac Cordi per vasa utrique huic visceri communia connexus in duas intercedente Mediastino dispeicitur partes, quarum singula, una dextra, altera sinistra dicta in parte superiori gibbum, in inferiori vero ubi Cor amplexu ambit, concavitatem habet, ita ut hoc viscus fere pedis animalis bisulci figuram referat. Colore præditus est *Pulmo* cinereo in jam respirante, rubicundo in nondum respirante; sed cum color maximum respectum habeat

A 2

HUBERTUS MICERSTOOL

Acta & Reges

DISPUTATIO MEDICA

habeat ad sanguinis dispositionem, de eo nil certi pronuncians ipsam Pulmonis substantiam rimari aggredior: quæ, ut *av^{er}g^oli^x* patet, maxima ex parte est aggregatum quid è tenuissimis membranulis ac millenis vesiculis orbicularibus fibris muscularibus donatis, quæ membranose vesiculæ ab expansione intimæ Tracheæ tunicæ originem habentes ita inter se sunt nexæ, ut ex Trachea in easdem, dein ex aliis in alias aditus patescat, donec in porosam Pulmonis membranam desinant. Vasa Pulmo habet omnis generis Arteriam scilicet & Venam pulmonicam, illam è dextro hanc è sinistro cordis thalamo; quarum rami ad latera Tracheæ procedunt: præterea quoque conspicua est Arteria Bronchialis primum à Dom. Marchetti observata, quæ ex arteria aortæ descendenter posticâ parte prope exortum arteriarum intercostalium ei communicatur: quod ad Venam huic arteriæ comitem attinet, eam cum nunquam viderim, nec quenquam vidisse crediderim, hic excludo; præsertim quum sanguis per arteriam bronchialem allatus & à nutritione hujus visceris residuus satis cum reliquo cruento per venam pulmonicam amandari queat: præter hæc jucundo sane spectaculo Nervi è pari vago propaginem habentes vasa jam dicta diversimode circumligando per Pulmonis compagem disperguntur; quæ omnia enarrata vasa etiam cum innumeris vasculis lymphaticis è minimis Pulmonis Glandulis ortis associata atque contorta Rete quoddam admirandum supra singulas vesiculas texunt, quod assequi nec culter anatomicus, nec oculus nisi vitro optico armatus permittit: plura non addam, nam cuncta comprehendendi cupido mihi non incessit, quæ apud alios Auctores latius diffusa sunt, quam ut breviter cognosci possint. Et cum *is recte sit curatur*, ut inquit Celsus, *quem prima origo causa non fecellerit*, ideo.

§. IV. *Ait iologia ut accuratius inquiratur, causa immediate hunc affectum producens erit præmittenda; quæ est partium fluidarum talis dyscrasia febrilis ut nutritioni inepta sit, à pravâ primùm diathesi & tandem ab ulcere Pulmonis orta, ita ut hæc hujus mali sit causa continens à diversis procatareticis inducta, quas melioris ordinis ergo ad *αρρεφός* & *αρρεφά* refero: illæ in materiaturâ & structurâ, he in rebus non naturalibus quærendæ sunt. Sub materiaturâ comprehendo sanguinem secundum partes suas alibiles, & functionibus inservientes, & recremennitias quæ periodice, seu ad incerta temporis intervalla amandari debent: hæc enim cum in se invicem agant, *sanguinis massa* hic præ cæteris est attendenda, quæ cum non sit bene mixta & temperata homi-*

nem

INAUGURALIS.

nem lœdit, & ratione particularum prædominantium diversa inde exultat qualitas, ut serosa, acris, viscida; hac, ut in pauca rem contraham, debitam sanguinis accensionem non permittens facile fistulosam Pulmonis substantiam obstruendo, adeoque morari ibidem trahendo acrior facta tenerrimas istas vesiculas cum suis vasis eredit atque disrumpit, & indies hoc illuc repens totum ventilabrum depascit: illa igitur quatenus vascula & levissimas membranas corredit sanguinis profusionem parit, qui in pus ut mutetur necesse est: ista utpote potissima catarrhi materia & sape cum præcedentibus combinata humorem efficit catarrhalem, qui quoconque modo in Pulmonem depositus teneram hujus visceris substantiam exulcerare facit. Præter qualitates huic rei etiam tributum suum solvit sanguinis quantitas & ejus morus auctus: utrumque enim facile angusta & totuosa Pulmonis vascula disrumpit, inflammationem & tandem abscessum caußat.

§. V. Structura conformatiōnē & texturā partium solidarū respicit, in quibus tam internæ quam externæ thoracis partes naturaliter, vel per accidens vitiatæ considerationem merentur, naturaliter vitiatæ sunt ubi pectus constrictum, collum oblongum, humeri alati seu ubi scapulae à tergo prominent, gibbus, Pulmonis alicui parti præternaturalis adnascentia & prava ejus textura aliaque plura à naturā male conformata & similes labes à parentibus propagatae: per accidens vero vertebrarum distorsiones, sterni costarumque fracturæ, thoracis vulnera & sexcenta hujusmodi genera, quæ hic recensere non lubet, & quo modo hæc singula jam dicta nostrum affectum caußant tanquam satis nota omittens me converto ad

§. VI. Æquas sive caußas externas, quarum primas in hac scenâ partes agit Aer maximus in omnibus, ut ait Hippocrat., que corpori accidunt dominus: qui enim à debitâ suâ consistentiâ deflectens in crassam, nebulosam, paludosam spiritus animales reddit torpidos fermentationique ineptos, hinc obstructiones facilime pariendo Phthisin accersit; dein magna quoque ansa huic morbo præbetur ubi tempestas & cœli mobilis humor mutavere vias & Jupiter humidus austris denset quæ rara modo, & quæ densa relaxat: nam sanguis inde ad catarrhum disponitur. Eodem modo hic in scenam prodit aër carbonum fumo imprægnatus, cuius incongruitati in Angliâ morbi causa fere in totum adscribitur: miasmata quoque è corporibus Phthisicorum exhalantia Phthisin promovere abunde probant, qui cum illis familiariter vivunt. Præterea

DISPUTATIO MEDICA

terea silentio hic prætero vestimenta nimis arcta, quibus præsertim Dominicæ utuntur ut juxta illud Comici juncea apparent atque juvenibus placeant.

§. VII. Aërem excipiunt Assumpta utpote ad vitam sustentandam maxime necessaria: nam, ut inquit ille

mortalibus esca

Debetur, quâ cuncta decet renovando inseri, verum ubi alimentum copiosius præter naturam fuerit ingestum morbum facit (Hippocr. Aphorism. 17. Sect. 2.) Idem quoque præstat qualitate viatuum; utrumque enim fermentum & fermentationem chyli corrumpit atque pervertit, hinc vitiosorum humorum saburra in primis viis coacervatur humoresque peregrini in sanguinem convehuntur, qui ei assimilari nequeentes ipsum perturbant & serosum, acrem, vel viscidum adeoque hujus morbi productioni aptum reddunt. Huc referenda sunt corpora præcipue dura in Pulmonem quounque modo delapsa, quâ de re notabilia extant exempla apud Ampliss. Tulpium lib. 2. cap. 7. apud Stalpart vander Wiel, Cent. 1. Observ. 22. & apud alios observationum Scriptores.

§. VIII. Sequuntur Somnus & Vigilia, que utraque modum excedentia, malum, ut pulchre & verum à Coo dictum est Aphor. 3. Sect. 2. & Aphorism. 71. Sect. 7. Somnus, Vigilia, utraque modum excedentia, morbus: per somnum enim spiritus animales sunt torpidi ac ad actiones suas peragendas inepti, hinc propter omnia totius fermenta debilitata humores viscidii & glutinosi generantur, & præsertim in illo, qui satur irriguo mavult turgescere somno: per vigilias autem spiritus animales dissipantur, unde sanguinis humorumque miscella à naturâ suâ balsamicâ degeneratur in acrem & Oeconomiae nostræ animali maxime noxiā constitutionem.

§. IX. Porro ceteris rebus non naturalibus haud diu inhærebo ne illud Juvenalis mihi applicetur:

Nam quæcumque sedens modo legerat, hac eadem stans

Proferet, atque eadem cantabit versibus iisdem,

Occidit miseris crambe repetita magistros.

Sufficit ergo cum Ovidio de Motu & Quietie dixisse,

Quod caret alternâ requie, durabile non est,

Hac recreat vires fessaque membra levat,

Otia corpus alunt animus quoque pascitur illis,

Immodicus contra carpit nigrumque labor.

De

De Animi passionibus quoque meminisse sat est, quod inter eas præcipue in hac tragediâ scenam mereantur ira & mœstitia. Tandem & hoc ab Auctoribus reducuntur *Excreta & Retenta*; quæ tamen, cum aliarum caussarum sive internarum, sive externarum sint consequens, reetius *caussis præternaturalibus* accenseri posse putamus: ut sunt omnes evacuationes naturales, vel præternaturales vitiatae; quales sunt inter excreta nimius mensium in scæminis, hæmorrhoidumque in maribus fluxus, nimia scæminis dispendia: inter retenta sunt menses hæmorrhoidesque omnino suppressæ, vel solito parciores, fonticulorum & ulcerum ante debitum tempus occlusio. Præter hæc multæ adhuc annumerari queunt caussæ præternaturales; quales sunt omnes morbi chronicæ & acutæ, iisque non secundum artem tractati, inter quos sunt lues venerea, scorbutus, febres intermittentes, variolæ, morbili &c. sed quoniam hujusmodi Phthiseos symptomaticæ genera diversam requirant curam, nos pro subjecto habere Phthisin idiopathicam attendentि satis patet.

§. X. Hisce præmissis ut magis innotescat hostis iste crudelis signum manifestantia summatim perlustrabimus, quæ ex duplice hau- riuntur fonte, *Diagnosi* puta & *Prognosi*: in *Diagnosi*, cum ex ordine rei prius sit inquirenda, singulo signo pathognomonicæ prælibato *assidentia* annumerabo. Primo itaque occurrit *Tusis* sive sit *siccæ* sive *humida*, illa tamen, quam & *vulpinam* vocant, plerumque locum habens in Phthisi incipiente ortum dicit à materiâ acri-salinâ râque Hæterogeneâ in vesiculis depositâ & ad expectorationem inhabili fibrillas nervolas vellicante, corrodente: hæc autem ordinario observatur in Phthisi confirmata quia ulcere quâcunque de caussâ Pulmoni jam inducto pus admodum variii coloris cum lymphâ com- mixtum & striis sanguineis tinctum ut sœpe rejiciatur necesse est. Ex dictis jam facili marte desumi potest, quid patientes sœpe conquerantur de loquela rauca, aliquando fere abolita, dolore circa scapulas, dyspnea, precordiorum angustia cardialgia non absimili, pectoris gravitate, appetitu prostrato, aliquando depravato aliisque symptomatibus. Sequitur alterum signum pathognomonicum, nimirum febris heclica continua, quæ cum in incipiente & confirmata ut minus & majus differat, seorsim & primò quidem quomodo se in incipiente habeat, examinanda est: ori- tur igitur hæc a fermento aliquo incongruo præsertim acri & acido in Pulmone delitescente, sanguini ad novam accensionem subeundam tran- seuntâ

8 DISPUTATIO MEDICA

seunti vitiata etiam qualitate laboranti, communicato; unde indebita hic facta sanguinis commixtione, adeoque accensione, parere gradu leviter inordinate effervescit, ita ut haec febricula vix sit perceptibilis, nisi accurate attendatur ad symptomata, quae, quod notatu dignum, a pastu sunt magis conspicua, qualia sunt generum rubor, calor aliqualis preternaturalis qui major, quod attentio-
nem meretur, in manum volis ac plantis pedum manifestior, pulsus par-
vitas frequentiā compensatur, lotum ixtensus coloratum appetet, sis, tussis exacerbatio, quae omnia tractu temporis magis magisque ingra-
vescunt; nam ulcere jam plenarie producto, adeoque Phthisi existente
confirmatā pus fætidum, acre & valde acidum continuo per totum cor-
pus vehitur. totamque sanguinis massam ita inquinat, ut quicquid in eam
sit allatum in febrilem effervescentiam adigit, hinc patet unde sudores
illi colliquativi, copiosissimi, lotum turbidum, viscidum, cui pinguedo telis
aranearum similis supernatat, pulsus debilis, celer, animi deliquia, dia-
rhaea &c. Denique tertium & ultimum Phthiseos signum pathognomo-
nicum est Emaciatio totius corporis, quae, in incipiente cur vix in con-
spectum veniat & in confirmata cur ibi ossa tegat macies, nec juvet ore
cibus, cur & ibidem capillorum desluvium e præcedentibus satis colligi
posse autemans transeo ad

§. XI. Prognosin, ubi primo in genere notandum hunc morbum
esse periculosisimum & curatu valde difficultem, quod etiam satis patet
habitâ partis affectâ ratione: veruntamen respectu differentiarum mi-
nus majusve periculum imminet; ita incipiens si satis tempestivè cognos-
catur perfectam sanationem adhuc admittit: excludo autem hic jure hæ-
reditario & a malâ thoracis conformatione acquisitam, quae enim utra-
que insanabilis existit, nec non contagiosam, quae sâpe valde acuta est
& plerumque fatalis. Quo ad Phthisin confirmatam, eamque vel in-
veteratam, ea, me judice, est insanabilis, quicquid multi de ejus sana-
tione jaçitant & glorianter: verum enim vero quid multis verbis opus
est? solummodo cum prudentissimo Sennerto monneo eos qui ulcera
Pulmonis & Phthisicos sanasse dicunt debere attendere ne decipientur & Pul-
monem exulceratum putent, cum thorax saltē laboraverit, aut catarrhus
& pithuita in Pulmone in similem puri substantiam, illæso Pulmone, muta-
ta sit; verum quidem est quod alia ratione caussarum sit acuta & pa-
tientem brevi jugulans, alia chronica & per plures annos patientem va-
letudinarium in vitâ servans, cujus tamen terminum indicat Divinus

Senex

INAUGURALIS.

Senex *Aphorism.* 11. 12. 14. Sect. 5. & 16. Sect. 7. præterea ratio hic simul habenda est ætatis ac anni temporis; pueri namque facilius cæteris curantur, ita Phthisis in autumno difficultioris est curationis quam in vere, licet & ver Phthisis sit infestum, quum scilicet sibi folia cornicis pedibus similia fuerint, notante hoc Divino Sene lib. 6. Epid. S. 7.

§. XII. Perpendimus hactenus morbi naturam, præcipuum nunc adhuc restat: videlicet *curandi methodum* ut proponamus, quam tamen multum variare differentiæ, symptomata aliæque circumstantiæ edocent, ita ut hic vix quicquam certi determinari possit: verum ut summa sequar fastigia rerum prius incipienti dein confirmataæ bellum infero. *Indicationibus* respondent *remedia* quæ suppeditant *Cheirurgia*, *Pharmacia* & *Dietetica*.

§. XIII. *Cheirurgia* primò subministrat *Phlebotomiam*, quæ laudatur ab his, culpatur ab illis: priorum vero sententiam, nisi malignitas vel aliud tale quid adsit, duabus amplectimur manibus, nam non solum per eam vasa sanguine plena deplentur, verum etiam effervescentia febribus sedatur adeoque vasculorum Pulmonis ruptio præcavetur, hæmoptoe si adsit impeditur, aliæque Phthiseos caussæ symptomataque inhibentur. Deinde non sine ratione hic maximopere extolluntur *Seracea* ac *Fonticuli* nuchæ & brachiis impositi, nec non *Vesicatoria* pone aures applicata.

§. XIV. In *Pharmacâ* plura se offerunt media, & primò quidem, si laburra humorum in primis viis hæreat, per os vel per alvum purgantia: si ergo patiens proclivis sit ad vomitum & facile vomat, exhiberi potest tale vomitorium: ex. gr. ʒ. *Croci metallor*: gr. X. *Infund.* per noctem in *vino albo gallico*, dein colato per chartam emporericam ad ʒiʒ. adde *Oxymell. scyllit* ʒ. *M. F. Haustus*: convenient & solus *Liquor Possetus* cui folia *Card.* bened. sunt incocta, vel ʒ. *Tartar. emet.* gr. vii. *Conser. Rosar. pallid.* ʒi. *M. F. Bolus*. Si vero per alvum evacuare circumstantiæ suadeant, præscribatur talis haustus, ut ʒ. *Fol. Sena* ʒij. *Tartar. Rhenan. Sem. Anisi ana* ʒ. *Ebulliant ex aqua pura, in colati* ʒi. *dissolv. Manna select.* ʒvj. *M. Detur pro Haustu*: vel ejus loco patiens singulo mane, pro ut magis, vel minus inde purgabitur, cyathum sequentis vini medicati sumat, ut ʒ. *Rad. Helen. ficcat.* ʒij. *Cort. Arantior.* ʒiij. *Li. n. Sassafr.* ʒiv. *Herb. Card. bened.* *Menth. crisp. ana m. ʒ. Summ. Absynth. p. j. Fol. Sena mundat.* ʒvj. *Sem.*

10 DISPUTATIO MEDICA

Sem. Danc. 3*lb.* Incisa & Contusa insuantur Sacculo suspendendo in vini
 albi gallici *lb. iv.* Præterea variæ adhuc formulæ concinnari possunt pro
 delectu Medici ex Ptisanâ laxante Riverii, Conservâ Rosar. pallid., Ta-
 marind., Pulpâ Caffea, similibusque blande purgantibus: fortia autem, ut-
 pote humores nimis conturbantia, cane pejus & angue sunt vitanda;
 verum ad nimiam, si quæ sit metuenda, humorum effervescentiam
 statim a vomitu, vel purgatione opiatum aliquod propinetur, sive ut u-
 nâ fideliâ duo dealbentur parietes admisceatur vel per superiora, vel per
 inferiora purgantibus: priori scopo satisficit vomitorium ex Sylvii lib.
 1. Prax. Cap. 15. §. xxix., quod recipit Oxyacchar. vomitiv. 3*j.* Land.
 opiat. gr. 6. vel j. aqua Men:b. q.s. M. F. Haustulus. In alterum au-
 tem finem commendamus sequentes pilulas aliquoties repetendas, ut
 p. Maj. pilular. magistr. Dom. Gesseli 3*j.* de Syrake gr. v. M. F. S. A. Pilula
 no. v. Hoc modo copiâ sublatâ ad humores adhuc peccantes evacuan-
 dos sanguinisque acrimoniam leniendam valde prosunt quæ insensibilem
 transpirationem augent atque urinas solito copiosiores provocant, addi-
 tis simul vulnerariis, ut p. Rad. Bardan. 3*iv.* Chine 3*lb.* Rasur. lign.
 Sassafr. 3*vj.* macerentur per noctem in aq. communis *lb. v.* dein S. A. coq. ad-
 dendo Herb. Sanicul. Alchymill. Summitat. Hyperic. ana m. j. Glycyrrh.
 coniſ. 3*j.* F. Colotura ad lib. iij. ex quâ bis terve de die haustus propine-
 tur: vel loco hujus decocti p. Rob. Sambuc. 3*lb.* Animon. diaphoret.
 Oculor. Cancr. pulverat. ana 3*j.* M. F. Electuarium, de quo mane &
 vesperi fructulum ad magnitudinem castaneæ devoretur. Interea tem-
 poris abstergentia, expectorantia & consolidantia non sunt negligenda,
 qualia habentur Radices Consolid. maj., Aristoloch. rotund., Tormentill.,
 Bistort. Glycyrrh., Herba Scabiosa, Tussilago, Bursa pastoris, Palmonar.
 maculosa, Capilli veneris, Botris, Hyssopus, Origanum, Marrubium,
 Violaria, Bugula, Millefolium. Flores Papaveris Rheados. Passif. mun-
 dat. Ficus pinguis, Hordeum mundatum, Species Haly ad Tabem, Dia-
 trayacanth. frig'd., Dia sulphuris Mysichti. Balsamus Sulphuris anisati,
 Trochisci Bechici albi, Saccharum albæ cum opio. Syrup. de Praffo, de
 Symphito, Lohoch sanum & expertum, similiaque plura e quibus pro mor-
 bi naturâ formulæ componi possunt: ex. gr. præscribatur tale apoze-
 ma; p. Rad. Consolid. 3*j.* Bistortæ, Tormentillæ ana 3*lb.* Glycyrrh. contus.
 3*lb.* Herb. Pulmon. maculof., Marrub., Botryos ana m. j. Hord. mundat.
 3*j.* Passifl. enucleatar. 3*iii.* Sem. Anisi 3*iiij.* F. Decoction in f. q. aq. communis
 ad *lb. iii.* de Colato sæpius haustum sumat patiens una cum gtt. *iii.* vel
 iv.

iv. *Balsami Sulphur.* anisat. Conveniunt etiam sequentes pilulæ Rive-
rii, ut $\text{rx. Mass. pl. Ruffi } \frac{3}{2}\text{j. Antimon. diaphoret. Gummi Guajaci ana-}$
 $\frac{3}{2}\text{b. Balsam. Peruvian. q. s. F. Massa de quâ } \varnothing\text{j. quotidie matutino}$
tempore capiatur, & in harum pilularum, aliorumve Pectoralium usu
continuandum donec circumstantiæ hoc permittant,

§. XV. Sequitur *Curatio Phthiseos*, confirmatae, ubi primò, ut
methodice pergamus, in usum revocentur *Setacea*, *Fonticuli* & *Vesicato-*
ria: dein humores vitiosi e primis viis clementer per alvum educan-
tur, hocque saepè optimè fit tali medicamento ex. gr. rx. Rhei elect.
 $\varnothing\text{j. Ocul. Cancer. } \varnothing\text{j. M. F. Pulvis. vel rx. Manna Calabr. } \frac{3}{2}\text{j. Cre-}$
mor. Tartari $\frac{3}{2}\text{b. dissolv. simal in Fuscule pro Haustu. Tandem in me-}$
dicamentis pectoralibus in *thesi precedente* præscriptis diætetico quasi
more aliquamdiu perseverandum est, observando interim ut alvus li-
quida servetur decocto prunorum similive laxante. Præterea opia hic si
vires cæteræque circumstantiæ ferant, excellunt. Plura medicamenta
& formulas qui velit adeat Practicorum libros in quibus hæc abunde
scaturiunt: cæterum ego hisce brevibus contentus nonnihil in genere sub-
jungam de

§. XVI. *Diæta*, quam, si proba sit, dextræ ac felicis curationis
basin existere quis ignorat? hæc enim medicamentis, quæ exhibentur,
manum quasi porrigit: imprimis autem multum hic pollet *Aeris mu-*
tatio; eumque in finem Celsus, Galenus, aliisque, nescio quibus verbis,
commendant longas istas navigationes: sed forsitan ad ignominiam evi-
tandam hi viri putant illas, quibus per Acherontem, Stygem & Cocyt-
um ad campos Elysios trajicitur, unde nemo, cum semel venit, po-
tuit reverti. Interea *Cibus* sit facilis coctionis & boni succi, ut
sunt Juscula consumata e carnibus, additis simul ejusmodi, quæ
partem affectam respiciunt: vel parari quoque potest talis gelati-
na, ut $\text{rx. Capum juvenem in frusta consicissum itemque bene purga-}$
tum. Carnis vitulina tb. B. Pedes vitulin. n° ii. Cinamom. select. }ij.
Conserv. Rosar. rubr. }ij. Passular. Corynbiac. }i. coq. in duplice vase
in q. s. aq. communis lento igne per horas circiter octo & F. S. A. Gelatina, ex
quâ cochlear præter proprie in Fuscule tenuiore dissolvatur & ita absumatur.}
Potus sit medicatus ut decoctum hordei in quo pruna, glycyrrb. & tantillum
cinamomi coctum est, sive Apozema thoracicum superius præscriptum:
*insuper Lac præcipue muliebre ab omnibus Auctoribus maxime extolli-
tur ejusque usus satis prolixe ab iisdem traditur. Vigilia si infestent,*

Somnus procurandus est : vehemens omnis *Mors* sive corporis , sive animi vitetur , & præsertim etiam a *venere* , cui non raro Phthisici proni deprehenduntur , abstinendum est.

A N N E X A.

I.

Fœtus humanus æque ac *bovinus* , *ovillus* &c. *urinam suam* per *urachum* deponit in *membranam urinariam*.

II.

Menses a *sola* *multitudine sanguinis* *oriri* *michi* non *videntur*.

III.

Aneurismatis causa proxima *est interioris arteriæ tunicae apertio* & *exteriorum dilatatio*.

IV.

Apparentibus variolarum notis *neque alvus* *movenda* *est* , *neque vena secanda*.

V.

In gonorrhœa virulentæ principio injectiones adstringentes *peſſimæ* *sunt*.

VI.

In bubonum venereorum aliorumque ejusdem farinæ tumorum apertione , *plena maturatio* *non* *est expectanda*.

VII.

Clysteribus fruſtra immiſcentur elective purgantia.

VIII.

Potiones vulnerariæ in sauciatis maximo cum fructu usurpantur.

IX.

Sanguinis transfusionem *ad morbos chronicos curando* *nihil* *facimus*.

F I N I S.